UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

6. De sacerdotum consecratione, & sacerdotibus honorandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52445

Visual Library

Ex libro Exodi, Marcus Marulus libr. 3. cap. 5. Conradus Lycoſthenes lib. 12. theatri, De ſacerdotum conſecratione & ſacerdotibus honorandis.

CAP. VI.

SIquis veſtes & ornamenta Aaron pontificis & filiorum eius ſacerdotum in Exodo conſideret, inueniret in eis creaturarum omnium typum: & hoc quidem quantum ad allegoriam pertinet, quantum verò ad tropologicum ſenſum, virtutum cunctarum imaginem. Et ſi anagogem contemplari voluerit, figuram Chriſti. In fronte nomen Dei ineffabile ſculptum in auro rutilat, quia caput CHriſti Deus eſt, & caput Eccleſiæ CHriſtus. Oleo ſanctificationis conſecrantur, vt eundem ſignificent, de quo & prædictum eſt: vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ prę cōſortibus tuis. *Exod. 18.* *Pſal. 44.* Tanta pontifici & ſacerdotibus Dei tribuuntur, vt mundum totum, virtuteſque omnes contineant, & ſimul mundi virtutumque dominium nobis exhibeant: quis non eos ante cunctos mortales qui in terra ſunt, ponendos arbitretur? quis vel ſola officij authoritate nō omnibus magis reuerendos exiſtimet? ſoli pōtifici ſancta ſanctorum ingredi licet: ſolis ſacerdotibus in altari Deo miniſtrare: ſolis panes propoſitionis ſumere, & pro populo ſupplicare. Cedat omnis terrena poteſtas, nihil in ſacerdotis poteſtate conſpicimus, quod nō cœlo dignum ſit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN